



Prot. N. 370/20/I



B E A T I S S I M E P A T E R,

Marcus Szkudłko, Vicarius Generalis Exc.mi Archiepiscopi Metropolitae Katowicensis, reverenter exponit paroecialem Beatae Mariae Virginis Auxiliatricis communitatem de "Wełnowiec", eiusdem Archidioeceseos, centesimum celebraturam esse anniversarium ex quo paroecialis ecclesia consecrata est.

Ad hunc faustum eventum digne commemorandum, peculiares peragentur sacrae functiones et alia spiritualia incepta, ita ut christifideles, qui illuc accursuri quamplurimi praevidentur, sacramentis Paenitentiae atque SS.mae Eucharistiae proprias reficiant animas et sinceram accrescant devotionem erga caelestem Patronam.

Itaque Exc.mus Orator donum Indulgentiae pro peregrinis piisque visitantibus a Sanctitate Tua fiducialiter implorat. Et Deus, etc.

Die XVIII Maii MMXX

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de mandato Sanctissimi Patris Francisci, plenariam libenter concedit Indulgenciam, suetis condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) rite adimpletis, a christifidelibus vere paenitentibus a die XXIV Maii MMXX usque ad diem XV Augusti MMXXI lucrardam, si paroecialem Beatae Mariae Virginis Auxiliatricis ecclesiam in forma peregrinationis viserint et ibi iubilaribus ritibus peculiaribusque circumstantiis, ut in supplicibus litteris nuper porrectis, devote interfuerint vel saltem per congruum temporis spatium piis considerationibus vacaverint, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque Beatae Mariae Virginis.

Paroeciae fideles senectute, morbo vel gravi alia causa impediti, pariter plenariam consequi valebunt Indulgenciam si, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, anniversariis functionibus se spiritualiter adiunixerint, precibus doloribusque suis, vel incommodis propriae vitae, misericordi Deo per Mariam SS.mam oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastorali caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut Parochus et sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, in iubilari templo, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebant ac S. Communionem infirmis saepe ministrent.

Praesenti per paroeciale iubilaem valituro. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Maurus Card. Piacenza
MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiarius Maior

Christophorus Nykiel
CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens